

plicatio est *Sanctii, Estii, Theodoretii, et Menochii* affirmantium, quod dum aquilo a sponso surgere iubetur, intelligi debeat, quod ei suo horto interdicat, et non in eundem invitet, ita ut citati textus sensus sit: « Fuge, recede, aquilo; tu autem, auster, veni, et perfla hortum meum. » Ratio sic interpretandi est; quia in hebraeo pro surge est עָרַר *'uri*, id est, *evigila*, Syrus *expergi-scere*, qui quasi dormis. Haec autem vox ambigua est, potestque habere hunc sensum: « Surge ut abeas, matura fugam, cito discede, o aquilo, quia tu es ventus frigidus, plantas adurens et enecans, ut veniat tibi succedat auster, qui suo calore et humiditate flores et arbores vegetat et foecundat. » Quamvis si *surge* accipiatur in alio et opposito sensu, ut referatur ad *perfla*, tamen aptam aliquam

significationem facere possit; prout in prima expositione citati textus indicavimus. Vide *Cornelium a Lap.* in eundem locum.

57. QUÆRES IX. Quomodo sponsus in hoc Cantico modo *rex* (1) et *pastor* (2) et suae sponsae *frater* (3); sponsa vero simul ut *filia principis* (4), et *vinitoris* (5), et tamen ab excubitoribus *percussa* (6), et *vulnerata* (7) induci possit sine antilogia seu contradictione? R. Quae in Cantico canticorum narrantur, non unice *Salomoni*, et filiae *Pharaonis* accommodandae sunt. Altior hic sensus latet, quo sub schematibus sponsi et sponsae, pastoris et gregis, vinitoris et vineae amor Iesu Christi in ecclesiam, et eiusdem in Iesum Christum reciprocus describitur; prout iam supra (8) indicavimus.

SECTIO V

DE LIBRO SAPIENTIAE

Totus est hic liber in institutendis regibus, principibus ac iudicibus ad zelum et amorem iustitiae; praecipue tamen ad sapientiam, cuius originem, pretium, utilitates copiose exponit. Illustria quoque de Christi, qui vera Sapientia est, passione vaticinia hoc libro contineri, patebit conferenti caput 2, a vers. 17, prope usque ad finem cum iis, quae de iudaeorum adversus Christum conciliis, dictariis, et machinationibus in evangeliiis recen-

sentur. Auctor autem huius libri incertus est; prout *Calmet* (9) fuse ostendit. Equidem sententiae in hoc libro contentae *Salomonis* esse creduntur, ita tamen, ut illae ab alio quodam in scriptum seu librum redactae fuerint. Hinc, quamvis hunc librum ss. patres (10) non raro sub titulo *Sapientia Salomonis* laudent; alius tamen a *Salomone* eiusdem auctor est. Certe, si *Salomon* hunc librum scripsisset, in canone esdrino fuisset positus; quod tamen

(1) Cant. 1, v. 5 et 11, ac alibi.

(2) Cant. c. 1, v. 6 et 7. Item c. 2, v. 16.

(3) Cant. 8, v. 1.

(4) Cant. 7, v. 1.

(5) Cant. 2, v. 15, ac alibi.

(6) Cant. 5, v. 7.

(7) Ibidem.

(8) Q. 4, n. 52.

(9) In dissertatione commentario suo in lib. Sapientiae praemissa.

(10) *Tertullian.* l. 1 de praescript. c. 7, s. *Hilarius* in psalm. 127, s. *Ambrosius* de parad. c. 7, et alibi.

factum non est. Ceterum s. *Hieronymus* (1) refert, iuxta multorum existimationem *Philonem* huius libri compositorem esse. Ubi tamen notandum, quod *Philo*, de quo hic loquimur, non is fuerit, qui tempore apostolorum vixit; sed antiquior alius, quem *Genebrardus* putat unum fuisse ex LXX interpretibus. Verum nullus *Philo* in historia LXX interpretum ab *Aristaea* nominatur; cum tamen in ea recenseantur nomina, et tribus singulorum LXX interpretum (2). Unde hodie plurimi existimant, non a *Philone*, sed ab alio iudaeo quopiam divinitus excitato, graecique sermonis perito (originaliter enim lib. Sapientiae probabiliter graece scriptus est), ac forte ab uno LXX interpretum librum Sapientiae fuisse compositum. Sed, ut diximus, res est incerta.

58. QUÆRES I. An lib. Sapientiae sit canonicus? R. Affirmative. Quamvis enim non sit proto-canonicus, est tamen deuterocanonicus, ac ab ecclesia catholica merito in numerum sacrorum librorum relatus; prout alibi (3) iam ostendimus, et polemicis ac scripturistae passim contra protestantes ostendere solent. At

OPPONUNT I. S. *Hieronymus* (4) de libro Sapientiae ait: *Valebat tantum ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*; sed si esset liber vere divinus et canonicus, valeret etiam ad confirmanda dogmata fidei. R. I. Ex hoc dicto s. *Hieronymi* plus non sequitur, quam librum Sapientiae aliquando non valuisse ad praedictum effectum,

quando nimirum ab universa ecclesia nondum erat receptus in canonem sacrorum librorum; non autem inde inferitur, *nunc* ad illum effectum praestandum non valere, postquam a Tridentino solemniter declaratus est canonicus. Igitur s. *Hieronymus* duntaxat vult, quod lib. Sapientiae tunc non fuerit omnino validus ad haereticos convincendos, et dogmata fidei contra eos stabilienda, quando huius libri auctoritas divina inter ipsos catholicos erat adhuc controversa. R. II. s. *Hieronymo*, et aliis quibusdam patribus, cum eo hac in re idem sentientibus, opponi possunt alii patres de libro Sapientiae contrarium iudicantes, videlicet eum etiam ad dogmata fidei confirmanda adhiberi posse. Sic s. *Iustinus* (5) contra iudaeos utitur illo ex lib. Sapientiae (6): *Circumveniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, etc.* S. *Basilius* (7) probat, Spiritum s. esse Deum ex illo (8): *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, etc.*; et sic de aliis. R. III. Quam male protestantes contra lib. Sapientiae, aliosque libros deuterocanonicos vet. Test. ex dubitatione primorum saeculorum argumententur, inde patet; quia ipsimet hodie in canonem recipiunt libros novi Test. nempe epistolas *Iacobi*, *Iudae*, 2 *Petri*, 2 et 3 *Ioannis*, epistolam ad hebraeos, *Apocalypsin*, quos *Lutherus*, alique ipsorum primi parentes olim reiecerunt.

OPPONUNT II. Liber Sapientiae deest in canone iudaeorum, quos latuisse hoc opus ante adventum Christi videtur; ergo non est cano-

(1) Praefat. in libros *Salomonis*.

(2) Vide *Sixtum Senensem* in bibliotheca sancta, l. 4, verbo: *Septuaginta*.

(3) Vide s. *Script.* contra incredulos propugn., V. T., p. 4, q. 1, num. 1-17

(4) Praefat. in lib. *Salomonis*.

(5) *Dialog. cum Tryphone* in fin.

(6) *Sapient. c. 2, v. 12.*

(7) L. 5 contra *Eunomium*.

(8) *Sap. c. 1, v. 7.*

nicus. R̄. Ad hanc obiectionem iam alibi (1) respondimus. Dein iudaeorum auctoritas nunquam valde magni in ecclesia Christi habita est, saltem recentiorum iudaeorum, quorum livor, et prava in religionem christianam studia exploratissima sunt. Apostoli, quibus sane maior, quam iudaeis debetur fides, plura ex lib. Sapientiae testimonia tanquam oracula divina in evangelium, vel epistolas suas canonicas derivarunt, prout *Calmetus* (2) et *Hermannus Goldhagen* (3) erudite ostendunt. Ab apostolis autem ad fideles lib. Sapientiae devenit, acceptusque ab ecclesia velut divinum depositum servatus semper, et tanquam Scriptura divina habitus est. Causae autem, cur non ab omnibus ecclesiis semper pro canonico libro habitus sit, potuerunt esse plures; nimirum primo, quia apostoli nunquam publica et aperta decisione hunc librum canonicum esse declararunt, sed eum duntaxat approbarunt ipso facto, ex illo textus quosdam allegando. Praeterea aliae causae erant, immoderata crisis *Melitonis* sardensis episcopi (4), item librorum primis seculis raritas, ecclesiarum inter se distantia, cogendorum conciliorum difficultas; donec tandem, longiore tempore et discussione explorata veritas, unanimi omnes ecclesias consensu in recipiendo in canonem libro illo conciliavit. Nam inter divinos libros eum recensuit concilium *carthaginiense III*, an. 397; *sardicense* an. 347; *constantinopolitanum* in *Trullo* an. 692; *toletanum XI*, an. 675; *florentinum* an. 1438, et *tridentinum* sess. 4.

(1) S. Scriptur. contra incredulos propugn., V. T., p. 4, q. 1, n. 6.

(2) Praefat. in lib. Sapientiae.

(3) Introd. in s. Script. p. 2, n. 169, argum. 3.

Reliqua novavorum contra librum Sapientiae argumenta partim iam alibi (5), soluta sunt; partim in sequentibus quaestionibus soluta inveniuntur.

59. QUÆRES II. *Quomodo illud* (Sap. 1, v. 13): DEUS MORTEM NON FECIT, cum alio sacro textu (Eccli. c. 4, v. 14): BONA ET MALA, VITA ET MORS, PAUPERTAS ET HONESTAS A DEO SUNT, concordet? R̄. Recte dicit sapiens: *Deus mortem non fecit*: Non enim Deus hominem mortalem, sed immortalem condidit (6); interim tamen, quia hic peccavit, mortem non nisi ut supplicium eidem decrevit (7). Hinc Eccli. loc. cit. dicitur: *Vita et mors... a Deo sunt*; quae duo tamen sibi contraria non esse, ut s. *Prosper* (8) ait: «Profecto videt, quisquis ab operibus divinis iudicia divina discernit, quia aliud est creando non instituisse mortalem, aliud iudicando plectere peccatorem.»

60. QUÆRES III. *An verisimile sit, auctorem lib. Sap. fuisse a Deo inspiratum, etiamsi* (cap. 1, v. 14) inducat fabulam *Plutonis, seu regni inferorum*; et in textu graeco (cap. 17, v. 14, qui in vulgata nostra latina est versus 13) fabulam *fluvii Lethe*, ut quidam exponunt, insinuet; ac denique (cap. ult. v. 20) loco *mannae fabulam ambrosiae velut cibi Deorum suggerat*? R̄. Haec omnia non obstant theopneustiae auctoris lib. Sap. Cum enim hic auctor totum suum librum stilo poetico donaverit, mirum non est, illum hinc inde ad fabulas alluisse, non ut eas sua auctoritate quasi ratas habeat, sed ut vel veritatem

(4) Vide s. Script. contra incredulos propugn., V. T., p. 4, n. 7 et 8.

(5) Ibidem n. 5-8.

(6) Ad Rom. c. 5, v. 12.

(7) Genes. c. 2, v. 17.

(8) In sent. coll. tom. 3, Sent. 393.

aliquam iisdem fabulosis dictionibus nobis innuat; quemadmodum cap. 1, v. 14, ubi indicat, imperium mortis et daemonis in homines non ex Dei institutione, sed ex ipsius hominis culpa esse; vel ut eventum quemdam nobis magis graphice proponat, ut cap. 17, v. 14, ubi illum stuporem, quo Aegyptii nocte illa horrenda (loquitur de densissimis Aegypti tenebris Exod. c. 10, v. 22 et 23) affligebantur, tantum exaggerat, ut eo illos non aliter attonitos et velut consopitos fuisse dicat, quasi spississimis orci tenebris essent stupefacti, aut (ut alii exponunt) quasi de fluvio *Lethe* bibissent. Ceterum nec vulgata nostra, nec versio LXX interpretum locis citatis nominant *Plutonium* aut fluvium *Lethe*, sed solum dicunt, quod non sit inferorum regnum in terra, et quod aegyptii ex inferni speluncis supervenientem noctem dormierint. Denique dum auctor lib. Sap. manna vocat ambrosiam non nisi nostro loquendi scribendique modo sese accommodat, qui cibum palato gratissimum nomine ambrosiae designare solemus. Accedit, quod Spiritus s. scriptoribus sacris non semper singula verba, sed sensum duntaxat inspiraverit, et delectum verborum iisdem liberum reliquerit.

61. QUÆRES IV. *Quomodo illud* (Sap. c. 2, v. 1): NON EST, QUI AGNITUS SIT REVERSUS AB INFERIS, cum resuscitatione *Samuelis ab inferis* (I. Reg. c. 18, v. 15) concordet? R̄. Verba illa ex lib. Sap. citata, non sunt effata Spiritus s. ea approbantis, sed solum narrantis, quid dicant homines impii, qui opinantur, animam esse mortalem, et omnia cum morte finire. Hinc sapiens loc. cit. praemittit haec ver-

(1) *Tertullian.* lib. 3 contra Marcion. *Clemens Alex.* lib. 3. *Strom. Laclant.* lib.

ba: «Dixerunt enim cogitantes apud se non recte... Non est, qui agnitus sit reversus ab inferis; quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus; quoniam fumus flatus est in naribus nostris (h. e. fumo similis est respiratio nostra, quae simul fit, et simul deficit); et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum (h. e. vita nostra, est res quaedam scintillae similis): qua extincta, cinis erit corpus nostrum, et spiritus diffundetur tanquam mollis aër, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, etc.»

62. QUÆRES V. *An vaticinia de Christi passione* (Sap. c. 2, v. 17 et seqq. contenta) non sint conficta, et ut *Grotius suspicatur*, ab aliquo christiano post mortem *Servatoris huic libro inserta*? R̄. Negative. Vana enim est *Grotii* suspicio; cum totius libri Sapientiae contextui vaticinia illa optime cohaereant. Sane longe aliter patribus (1) visum est, et ab illis creditum, vaticinia illa in Iesu Christo impleta esse. Neque suspicionem suam *Grotius* ullo gravi argumento firmare potest.

63. QUÆRES VI. *Quomodo textus ille* (Sap. c. 6, v. 8): AEQUALITER EI CURA EST DE OMNIBUS, cum illo (I. Cor. c. 9, v. 9): NUMQUID DE BOBUS CURA EST DEO? conciliari possit? R̄. Etsi providentia Dei ad omnes sine exceptione se extendat; non tamen aequales sunt effectus providentiae Dei respectu omnium. Sensus itaque primi textus est: Deus aequaliter curam habet omnium, scilicet tam vulgarium, quam nobilium et potentum, ita tamen, ut cuique provideat pro cuiusque statu, conditione et exigentia. In al-

(1) *Augustinus* l. 17 de Civ. Dei, c. 20, et l. 12 contra Faustum, c. 44.

tero autem textu non significatur, quod Deus nullam curam boum habeat, sed sensus solummodo est, quod praecipua cura Dei in illa lege mosaica (1), *Non alligabis os bovi trituranti*, non fuerit de bobus, sed quod Deus in ea statuenda altius quid spectaverit, videlicet praedicatores evangelii, qui sunt boves typici laborantes et triturantes in agro et area dominica, ex evangelio posse vivere. Vide *Cornel. a Lap.*, aliosve interpretes comment. in citatos s. Scripturae textus.

64. QUÆRES VII. *An verba illa* (Sap. c. 8, v. 19 et 20): SORTITUS SUM ANIMAM BONAM, ET CUM ESSEM MAGIS BONUS, VENI AD CORPUS INCOINQUINATUM, *non supponant praexistentiam animarum, antequam corpora effingantur, ab Origene ussertam? An non oleant pelagianismum docentem adesse in anima quaedam naturalia virtutis semina, ita ut ad salutariter operandum non indigeat auxilio supernaturali; vel doctrinam aliorum haeticorum asserentium, quasdam animas esse minus originali infectas, quasdam vero magis?* R. Ad omnia negative. Sensus enim citati textus, ut *Menochius*, aliique recte docent, est iste: *Sortitus sum animam bonam, i. e. ingenii acumine, et aliis praeclaris dotibus praeditam, et cum essem magis bonus veni ad corpus coinquinatum, i. e. cum bona indoles in dies magis excoleretur, et haec me ad bonum fortiter exstimularet, factum est, ut corpus quoque intemeratum custodirem. Igitur sapiens his verbis significat bonitatem animae, quam Dei munere habuit, et qua bene usus est, fuisse causam munditiae corporis. Quis autem non videt, iuxta hanc explicationem neque praexistentiam animae ante*

(1) Deut. c. 23, v. 4.

corpus formatum, neque sufficientiam virium naturalium ad salutariter, i. e. meritorie ad vitam aeternam operandum, neque inaequalem communicationem peccati originalis in posteros Adae asseri?

65. QUÆRES VIII. *Quomodo* (Sap. c. 10, v. 4) *dici possit, propter Cain terram diluvio deletam esse: PROPTER QUEM (i. e. Cainum) CUM AQUA DELERET TERRAM, etc.; cum tamen potius propter scelera gigantum id factum esse* (Genes. c. 6, v. 4-8, et Sap. c. 14, v. 6) *indicetur?* R. Sensus Sap. c. 10, v. 4, non est, quod Cain unus ea omnia patrarit scelera, quae diluvii noëti causa fuere; sed genuinus sensus est, quod propter impium Cain eiusque posteros eiusdem impietatis asseclas et imitatores aqua diluvii deleverit terram. Ceterum etiam illud notandum, quod inter alios loquendi modos in Scriptura existentes etiam ille sit, quo s. Scriptura maioribus aut progenitoribus tribuit, quod non tam ipsis, quam filiis aut nepotibus suis competit. Sic Christus per os Zachariae prophetae (2) ait, *se missum ad gentes*, nempe evangelii praedicandi causa; quod tamen non fecit ipse per se et in sua persona, sed per apostolos suos.

66. QUÆRES IX. *Quomodo illud* (Sap. 10, v. 14, *de Iosepho Iacobi patriarchae filio dictum, quod in Aegypto obtinuerit SCEPTRUM REGNI, explicetur, cum tamen non fuerit rex Aegypti, sed solum minister regis, ut ex libris Moysis constat?* R. Etiam in libris Moysis (3) legitur, fratres Iosephi ad patrem retulisse: *Ioseph filius tuus vivit, et ipse dominatur in omni terra Aegypti*. Sicut ergo Ioseph in Aegypto non rex, sed ut administer regis domi-

(2) Zachar. c. 2, v. 8.

(3) Gen. 45, v. 26.

nabatur; ita hic *sceptrum regni* non suo, sed alieno (nempe regis) arbitrio ac favore gessisse, dicendum est.

67. QUÆRES X. *Quomodo* (Sap. c. 10, v. 15) *israëlitae sub Pharaone velut viri probi describi possint his verbis: HAEC (Sapientia) POPULUM IUSTUM ET SEMEN SINE QUERELA LIBERAVIT A NATIONIBUS (i. e. ab aegyptiis) QUAE ILLUM DEPRIMEBANT; cum tamen prophetae israëlitae ut idololatrias traducant?* R. Quamvis israëlitae post exitum ex Aegypto lapsi sint in idololatriam, non tamen leguntur coluisse idola, usque dum post exitum ex Aegypto ad radicem montis Sinai, absente Moysse, fabricarunt et adorarunt vitulum aureum (1). Praeterea auctor lib. Sapientiae populum israëliticum merito potuit vocare *populum iustum*, seu ut graecus textus loc. cit. habet, ἁγιον, id est, *sanctum*, ex sequentibus causis. PRIMO, ob Dei vocationem et electionem: quia Deus hebraeos ex omnibus gentibus selegerat sibi in populum, id est, in synagogam et ecclesiam, ut ab eo sacrificiis et legibus a se sancitis coleretur. SECUNDO: *sanctum*, id est, sanctorum patriarcharum stirpem et posteritatem. Nam *si deliberatio sancta est, et massa; et si radix sancta, et rami* (2). TERTIA, quia inter priscos primosque hebraeos multi erant sancti, ut *Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Moyses*, et ceteri, qui a Pharaone opprimebantur. Oppressio enim facit sanctos, cogitque ad Deum confugere. Neque obest, quod inter hebraeos multi fuerint improbi. Nam etiam ecclesia christiana

(1) Exod. 32.

(2) Rom. c. 11, v. 16.

(3) Id indicatur Exod. c. 7, v. 10.

(4) Psalm. 104, v. 30.

(5) Exod. c. 7, v. 10. Item Exod. c. 8, v. 5 et 4.

est et dicitur sancta, quia multi in ea sunt sancti, etsi plures sint impii. A potiori enim et digniori parte res denominatur.

68. QUÆRES XI. *Quomodo veritati consentiat illud de Moysse dictum* (Sap. c. 10, v. 16): STETIT CONTRA REGES HORRENDOS IN PORTENTIS: *etsi toto libro Exodi non fiat mentio, nisi unius regis Aegypti?* R. Rex unus fuit Pharaon, contra quem stetit Moyses, sed regum nomine hic intelliguntur etiam principes Pharaonis, coram quibus editae sunt plagae aegyptiacae (3). Hinc etiam in psalmis (4) terra aegyptiorum dicitur *edidisse ranas in penetralibus regum ipsorum*, qui in aliis locis (5) vocantur *SERVI Pharaonis*. Eandem responsionem etiam amplectitur incognitus quidam prius auctor, qui commentaria in psalmos in duos tomos divisa scripsit, quae in tenebris delitescentia, primus *Ioannes Fonseca* episcopus burgensis vir doctissimus in lucem curavit edenda (6). Ibi auctor ille incognitus in haec verba psalm. 104, 30: *Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum*; ita commentatur: « Et dicit regum in plurali, quamvis unus esset rex Aegypti; quia reges intelligit omnes principes regum, populique regentes. » Nimirum hebraei consueverant *reges* vocare eos omnes, qui ad insueti honoris, aut potentiae gradum evecti sunt; et in Chanaanitide antiquitus iam invaluerat mos, ut qui alicui civitati praeessent, *regum* nomine insignirentur; prout alibi (7) observavimus.

69. QUÆRES XII. *Quomodo illud*

(6) Mihi ad manus est editio huius prisci incogniti auctoris, *Lugduni apud Carolum Pesnot* an. 1581.

(7) P. 1 s. Script. contra incredulos propugnata, V. T., sect. 2, cap. 5 de libro Deuteronomii, q. 38 ad secundum.

(Sap. 11, v. 23): DILIGIS OMNIA, QUAE SUNT, ET NIHIL ODISTI EORUM, QUAE FECISTI, cum illo (ad Rom. 9, v. 13): IACOB DILEXI, ESAU AUTEM O DIO HABUI, concilietur? R. Ad romanos loc. cit. per odium non intelligitur odium proprie et stricte tale, quale Deus solum habere potest et habet erga opera mala; sed tantum neglectus aliquis quoad bona quaedam temporalia, quem Deus respectu *Esau* exercuit, dum non ipsum et eius posteros, sed *Iacobum* cum suis descendentibus, in peculiarem sibi populum elegit, eique fertilem terram *Chanaan* ad habitandum assignavit, *Esau* non nisi sterilibus montibus *Seir* relictis.

70. QUÆRES XIII. An auctor l. Sapientiae in assignanda idololatriæ origine (Sap. 14, v. 15-22) non erraverit; ut *Calvinus* (l. 1 Instit. c. 11, §. 8) asserit, et etiam ex eo videtur probari posse; quia in libro Sap. loc. cit. origo idololatriæ tribuitur amori patrum in filios, cum tamen historici eam passim derivent ab amore filiorum in parentes, dum referunt: NINUM patri suo *Bele* primitus statuam adorandam erexisse? R. Auctor l. Sap. nullius mendacii aut falsitatis argui potest, dum loc. cit. causam idololatriæ repetit ex inordinato parentum in filios defunctos amore, imaginem mortuae prolis tanquam Dei colentium. Nam non negat, etiam alias, et forte antiquiores fuisse idololatriæ causas; imo ipsemet alibi (1) aliam adhuc pervetustam idololatriæ originem assignat, describens cultum a chanaanæis et aegyptiis in astra et elementa impensum, videlicet ob admirationem pulchritudinis, praestantiae et bonitatis harum crea-

(1) Sap. c. 15, v. 1 et 2, ubi ita legitur: « Vani autem sunt omnes homines... sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam

turarum, quin mente sua ad Creatorem ascenderent. Quando igitur auctor l. Sap. loc. cit. occasionem idololatriæ derivat ex immodico parentum in filios defunctos amore, duntaxat vult ostendere causam idololatriæ praecipuam aut unam ex praecipuis fuisse inordinatum affectum erga suos iam defunctos, quod apud varias gentes et idololatrias diversimode factum est; apud quosdam patre extruente imaginem defuncti filii; apud alios filio extruente imaginem defuncti patris, ut fecit *Ninus* patri suo *Bele* erigendo statuam; iterum apud alios erigendo simulacrum regis aut alterius defuncti; ut ipse auctor l. Sap. iterum insinuat (2) his verbis: « Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, nunc Deum aestimaverant. Et fuit vitae humanae deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. » Verissimum itaque est, quod idolum finxerit inordinatus defunctorum amor et veneratio. Auctor autem libri Sap. c. 14, v. 15, unicum exemplum (ceteris omissis, sed non exclusis) adducit, nempe parentis filium demortuum in imagine sibi repraesentantis.

71. COROLLARIUM. Crasse erravit *Calvinus* (3), dum librum Sapientiae falsitatis coarguit. « De idololorum, inquit, origine, publico fere consensu receptum est, quod in libro Sapientiae habetur, primos scilicet extitisse eorum auctores, qui hunc honorem detulerunt mortuis, ut ipsorum memoriam superstitio-

aquam, aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. »

(2) Sap. c. 14, v. 20 et 21.

(3) L. 1 instit. c. 11, §. 8.

se colerent: et sane fateor, perversum hunc morem fuisse vetustissimum... non tamen concedo, hunc fuisse primum mali fontem. Idola enim iam fuisse prius in usu, quam ista in consecrandis imaginibus mortuorum ambitio invaluisse... constat ex Mose. Cum enim *Rachelem* narrat furatam esse patri suo idola, non secus ac de communi vitio loquitur. » In his verbis *Calvinus* asserit, aut supponit: I. Quod ante *Rachelis* tempora nulla fuerint idola, in hominum defunctorum superstitiosum honorem fabricata. II. Illa ipsa idola, quae furata est *Rachel* (1), non fuisse imagines hominum defunctorum. Iam vero primum ex his duobus suppositis est omnino falsum. Certum enim est, *Belum* primum regem assyriorum, qui fuit ante *Rachelem*, imo et ante *Abraham*, fuisse pro Deo habitum post mortem suam, ut *Eusebius* (2) testatur, et statuam illi a *Nino* filio positam, fuisse primum idolum publice propositum ad adorandum; prout s. *Cyrillus* (3) et s. *Ambrosius* in primum caput ad Roman. sive quicumque fuit eorum Commentariorum auctor, docuere (4). Alterum vero, quod illa ipsa idola, quae *Rachel* furtive abstulit, non fuerint imagines hominum defunctorum, *Calvinus* probare nequit; praesertim, quia positive probari potest, quod repraesentaverint figuram humanam. In textu enim hebraeo cit. loc. adhibetur vox *theraphim*, quae statuas seu idola significat, hominis figuram repraesentantia, et arte diaboli loquentia seu responsum

(1) Gen. c. 51, v. 19.

(2) Initio chronici.

(3) L. 5 in *Iulianum*, non procul a fine.

(4) Vide *Bellarminum* l. 4 de verbo Dei c. 15.

(5) Vide *Calmeti* diction. bibl. ad voc. *Theraphim*, aut consule *Cornelium a Lap.*

dantia (5). Quod enim haec vox hominis figuram significet, patet ex l. I. Reg. cap. 19, ubi *Michol* cum vellet eruere *Davidem* de manibus *Saul*, emisit illum per fenestram, et in lecto loco eius posuit simulacrum, quod hominem referret: ubi in hebraeo pariter est *theraphim* pro eo quod nos in vulgata habemus *statuam* vel *simulacrum*. Quod autem dicta idola locuta fuerint, patet ex *Ezechiele* cap. 21, v. 21; ubi enim nos legimus: *Interrogavit idola*, in hebraeo est *theraphim*. Et similiter *Zachar.* 10, v. 2, ubi legimus: *Simulacra locuta sunt inutile*. Ceterum unam ex praecipuis idololatriæ causis fuisse fabricationem imaginum humanarum in memoriam defunctorum, ut liber Sap. docet, testantur *Cyprianus* (6), *Chrysostomus* (7), *Hegesippus* (8) et alii passim.

SCHOLION. Quamvis ad vindicandam libri Sapientiae divinam auctoritatem necesse non sit, omnium primam causam seu originem idololatriæ determinare, ut praec. num. 70 et 71 iam observavimus: tamen in gratiam studiosi lectoris hac de re sequentia breviter commemorare iuvat. Inprimis sat certum est, quod ante noëticum diluvium prima aetate non fuerit idololatria propter recentem, ut s. *Thomas* ait, memoriam creationis mundi, ex qua cognitio unius Dei in mente hominum adhuc vigeat. Quenam autem omnium prima idololatriæ causa, seu origo post diluvium fuerit, res est incerta (9). Communiter tamen interpretes docent, *Ninum* ini-

aliosve interpretes in Genes. c. 51, v. 19.

(6) Initio libri de idolorum vanitate.

(7) Homil. 87 in Matth.

(8) Apud s. *Hieronymum* de viris illustribus.

(9) Vide *Calmeti* dissertationem de origine idololatriæ, quae huius auctoris commentario in lib. Sap. praefixa est.

tium dedisse universali idololatriae statuariae; idque ad longum deducit *Cornelius a Lap.* (1). Quamvis enim ante tempora *Nini* iam fuerint idola, initium tamen idololatriae *Nino* tribuitur; quia tunc idola coeperunt esse universalia, utpote regia auctoritate erecta. Qua de re s. *Hieronymus* (2) loquitur his verbis: « Ninus in tantam pervenit gloriam, ut patrem suum *Belum* referret in Deum, qui hebraice dicitur *Bel*, et in multis prophetis maximeque in *Daniele*, et iuxta *Theodotionem* sub idolo *Babylonis*, hoc appellatur nomine. » Porro postea a populis pro varietate linguarum varia sortitus est nomina, nimirum *Bel* ab aliis dicebatur *Baal*, *Baalim*, *Beelzebub*, *Beelphegor*? et quia graeci *Saturnum* deorum parentem faciebant, teste *Eusebio* in *Chronico Belum Assyrii Deum nominarunt Saturnum*. Igitur, cum interpretes *Abrahamae* nativitatem ponant 43 anno imperii *Nini*, dicendum erit, idololatriam universalem incepisse circa *Abrahamae* nativitatem, id est circa annum mundi 2008, seu ante Christum annis circiter 1992 (3).

72. QUÆRES XIV. *Quomodo illud* (Sap. 15, v. 3): OPORTET PRAEVENIRE SOLEM, ET AD ORTUM LUCIS TE ADORARE, cum illis Iobi verbis (Iob 31, v. 26 et seqq.) dicentis: SI VIDI SOLEM CUM FULGERET, ET LUNAM INCEDENTEM CLARE: ET OSCULATUS SUM MANUM MEAM, QUÆ EST INIQUITAS MAXIMA ET NEGATIO CONTRA DEUM ALTISSIMUM, conciliari possit? R. Nulla hic est contradictio. Nam in primo textu sermo est de adoratione veri Dei ad ortum lucis: in altero au-

(1) Comment. in Sap. c. 14.

(2) Comment. in cap. 2 Osee.

(3) Vide tabulam chronologicam biblic. universalem, quam apud *Calmetum* ad finem dictionarii biblici, aut apud alios interpretes invenies.

tem textu de superstitiosa adoratione ipsius solis. Solebant enim olim idololatrae adorantes idola, haec protensa manu tangere, et deinde manum ad osculum reducere: de qua adorandi caeremonia vide s. *Hieronymum* (4), *Plinium* (5), aut *Apuleium* (6).

NEQUE INFERAS: Ergo *Iob* fuit idololatra. R. Nequaquam. Nam *Iob* loc. cit. non dicit: *Vidi solem.... et osculatus sum manum meam etc.*, sed solum conditionate pronuntiat: *Si vidi solem, etc.* Nimirum sensus est: *Si idololatriam exercui adorando solem, puniat me Deus, etc.* Probe enim notandum, quod *Iob* citato capite ex instituto ostendat innocentiam suam, et a variis criminibus, ac inter alia etiam ab idololatria se immunem esse, asserat cum iuramento execratorio, dicens: « Si hoc aut illud crimen feci, Deus me puniat; libenter fateor, me omnia mala et poenas, quas patior, promeritum esse, si tale quid commisi. » Ac non raro quidem eiusmodi poenam conditionatam *Iob* loc. cit. explicite addit e. g. v. 7 et 8: « Si declinavit gressus meus de via.... et si manibus meis adhaesit macula: seram, et alius comedat, et progenies mea eradicetur. » Aut v. 21 et 22: « Si levavi super pupillum manum meam... humerus meus a iunctura sua cadat, et brachium meum cum suis ossibus confringatur. » Ubi autem eiusmodi poenam conditionatam explicite non addit, subintelligenda est, quemadmodum in obiecto v. 26 et seqq.: *Si vidi solem etc.*; prout *cl. Weitenauer* (7) recte adnotat.

73. QUÆRES XV. *An verisimile*

(4) L. 1 contra *Rufinum*.

(5) L. 28, c. 2.

(6) In apolog. c. 1 et l. 4 de asino.

(7) In nota ad Iobi c. 31, v. 34.

sit illud assertum (Sap. 16, v. 20): ANGELORUM ESCA NUTRIVISTI POPULUM TUUM, ET PARATUM PANEM DE COELO PRAESTITISTI ILLIS. *Quis enim sibi persuadeat, quod manna fuerit esca in coelo parata ad cibum angelorum?* 2. *An verisimile sit, quod manna habuerit omnem saporem pro cuiusque desiderio et voluntate; ut* (ibidem) *his verbis: OMNE DELECTAMENTUM IN SE HABENTEM, ET OMNIS SAVORIS SUAVITATEM, asseritur; cum tamen* (Num. 21, v. 5) *constet, quod manna hebraeis fastidium moverit? An hebraei hunc cibum nauseassent, si sapuisset cuique id, quod volebat? Praeterea mannae* (Exod. 16, v. 31) *sapor fuit similis saporis SIMILAE CUM MELLE: Quomodo igitur potuit habere quemcumque alium saporem pro cuiusque voluntate?*

R. AD PRIMUM. Et dico hanc loquendi rationem esse figuratam et in poetico sensu accipiendam, ita ut sensus sit: Si angeli corporali cibo uterentur, tali merito uti possent; imo coelestis fuit quodammodo haec esca, quandoquidem de coelo una cum rore decidebat, atque iucundi adeo saporis erat, ut iure dici posset angelorum manu praeparatam fuisse. Ceterum non desunt aliae figuratae loquendi rationes in s. Scriptura, quae ab hac minime abludunt, et pariter in sensu poetico accipiendae sunt. Sic de promissa terra dicitur (1) ibi mellis lactisque rivos manare: et *Ioël* (2) patriae coelestis felicitatem describens, futurum ait, ut *montes stillent dulcedinem, et colles fluant lacte*. Est nimirum eiusmodi modus loquendi figuratus populis orientabilibus perquam usitatus.

R. AD 2. et dico; quod Scriptura,

(1) Exod. c. 3, v. 17, et alibi.

(2) Cap. 3, v. 18.

(3) L. 2 *Retract.* c. 20.

(4) Comment. in Exod. c. 16, v. 14.

quando Exod. 16, v. 31 dicit, *mannae gustum fuisse quasi similiae cum melle*, loquatur de sapore ipsi mannae quasi congenito et naturali; nam ita sapiebat, si comedens nullum alium cibum desideraret: si enim ipse aliud quid desiderabat, mox id manna sapiebat, iuxta effatum Sap. 16, v. 20 et 21. Sed hoc tantum in iustis, et qui Deo obsequentes erant, locum habebat, quos ibi v. 21 *filios Dei* Scriptura appellat. At alii hoc beneficio non fruebantur, sed his tantum naturalem saporem manna referebat: unde etiam hunc cibum tandem nauseabundi reiecerunt, quod utique non fecissent, si in illo, vel ex illo omnem cibi saporem exprimere potuissent. Ita rem hanc cum s. *Augustino* (3), *Bonfrerius* (4), *Calmet* (5), aliique explicant. *Menochius* (6) vero, et illi, qui contendunt, non tantum pios, sed etiam impios israelitas omnem saporem, quem desiderabant, ex manna percepisse, ad obiectam difficultatem poterunt cum *Lorino* et *Cornelio a Lapide* (7) respondere, nauseam et murmur israelitarum non ex fastidio saporis provenisse, sed ex eo, quod color, odor, forma, tenuitas et similes aliae qualitates eadem semper perseverarent in manna, quarum iucunda diversitas solet gustatum magis allicere. Sic enim pueri aliique gulosi non tantum ventrem, sed et nares et oculos et manus cibis pascere et implere cupiunt. Poscebant igitur israelitae varietatem et soliditatem ciborum, et manna tanquam escam nimis tenuem, et exiguae substantiae ac virtutis respuebant, dicentes: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto levissimo* (8).

(5) Comment. in Exod. c. 16, v. 15; item in Sap. c. 16, v. 21.

(6) Comment. in Exod. c. 16, v. 31.

(7) Ibidem. (8) Num. 21, v. 5.

74. QUÆRES XVI. *An liber Sapientiae non faveat fabulosis gentiliū poëtarum metamorphosis, dum (cap. 19, v. 18) ait: AGRESTIA (animalia) IN AQUATICA CONVERTEBANTUR: ET QUÆCUMQUE ERANT NATANTIA, IN TERRAM TRANSIBANT. Verum an in librum divinitus dictatum cadit, fabulosas eiusmodi metamorphoses adstruere? R.* Toto coelo aberrant omnes, qui ut librum Sapientiae impugnent, hunc Scripturae locum ad somnia de mutatis animalium naturis detorquent. Nullus enim hic sermo est de fabulosa quadam metamorphosi, sed de iis, quae acciderunt in regione Aegypti variis plagis percussa, ubi inter caeteras plagas, postquam aqua in sanguinem tam in lineis vasis, quam in saxeis, et in omni terra Aegypti (1) conversa fuerat, agrestia animalia prae vehementia sitis in Nilum se coniciebant: et vicissim omnis generis pisces, et maxime amphibia, cum sentirent, aquas Nili in sanguinem mutari, vel in terram se effundere

properabant, vel morte occupata ac super aquas sensim eminentia, vi fluctuum in terram excutiebantur. Extat in hunc libri Sapientiae locum celebris dissertatio in diario ecclesiastico (2).

SCHOLION. *Cornelius a Lap., Menochius, Calmet*, alique interpretes memoratum l. Sap. locum paulo aliter explicant. Animalia agrestia, inquit, in aquatica convertentur, id est, homines, boves, oves, armenta hebraeorum, quodammodo in aquatica animantia convertentur, quando hebraei per mare rubrum (3) transibant. Et quaecumque erant natantia, in terram transibant, hoc est, pisces et amphibia (ut iam in prima responsione dictum est) in terram effundebantur, cum aquae Aegypti in sanguinem versae sunt: vel intelliguntur hoc loco ranae (4), quae ex aquis exilientes domos aegyptiorum invaserunt, et sic ex aquaticis quasi terrestria animantia facta sunt.

SECTIO VI.

DE LIBRO ECCLESIASTICI

Hic liber a latinis inscribitur *Ecclesiasticus* ad imitationem libri a Salomone scripti, qui *Ecclesiastes* dicitur. Complectitur enim similem philosophiam moralem, tradens encomia Sapientiae, et praecepta virtutum, quibus laudes patriarcharum et prophetarum subnectit. Appellatur autem *Ecclesiasticus*, et non *Ecclesiastes*, ut sit aliqualis distinctio ab hoc altero libro; quamvis *Ecclesiasticus* idem significet ac *Ecclesiastes*, nempe *Concionator*. Porro *Ecclesiastici* auctor est *Iesus*

(1) Exod. c. 7, v. 19, 20 et 21.
(2) Journal ecclés. décembre 1764.

filii *Sirach* senioris, qui tamen multa ex *Salomone* depromsit, et ob similitudinem argumenti, stili et phrasim cum libris *Salomonis* plurimum convenit, ex quo factum est, ut multi ss. patres testimonia ex *Ecclesiastico* desumpta passim citent nomine *Salomonis*. Alius dein *Iesus* item filii *Sirach*, sed iunioris, ac nepos auctoris l. *Ecclesiastici* hunc librum ex hebraeo in graecum sermonem transtulit. Distinguendum igitur est inter *Iesum filium Sirach senioris*, auctorem *Ecclesiastici*, et

(3) Exod. c. 14, v. 22.
(4) Exod. c. 8, v. 5-7.

inter *Iesum filium Sirach iunioris*, interpretem eiusdem libri. Nam *Sirach* senior genuit *Iesum* auctorem *Ecclesiastici*: hic genuit *Sirach* iunior, cui moriens *Ecclesiasticum* hebraice compositum reliquit; *Sirach* iunior genuit *Iesum* iunior, qui avi sui hebraicum volumen in idioma graecum transtulit (1).

75. QUÆRES I. *Quot fuerint in veteri Testamento celebriores viri, compellati IESUS nomine? 2. Et quo saeculo extiterit IESUS FILIUS SIRACH SENIORIS, AUCTOR L. ECCLESIASTICI? R.* Plures in V. T. hoc nomine *Iesus*, i. e. *Salvator* compellantur: tres tamen magis celebres sunt, quorum singuli erant figura Christi Domini. Primus fuit *Iosue* apud graecos Ἰησοῦς, et apud *Sirachidem* seu *Ecclesiasticum* (2), *Iesus Nave* appellatus: alter erat *Iesus filius Iosedec Pontificis* tempore captivitatis babilonicae (3): tertius *Iesus filius Sirach senioris* auctor *Ecclesiastici*. *Iosue* dux populi israelitici expressit typum *Iesu* Christi fideles suos in terram promissam, id est, in regnum coeleste deducens. *Iesus filius Iosedech* tanquam pontifex repraesentavit sacerdotium et pontificatum Christi. Denique *Iesus Ecclesiastici* auctor praefiguravit Christum tanquam magistrum et doctorem universi.

AD 2. dico, *Sirachidem* seniore, seu *Iesum filium Sirach senioris* floruisse tempore *Ptolemaei Philadelphi*, lxx interpretum, et *Eleazari* summi pontificis, hoc est, circiter 280 annis ante Christum natum (4).

(1) V. in s. Bibliis prolog. *Ecclesiastici*.
(2) Cap. 46, v. 1.
(3) *Zachar.* c. 5, v. 1.
(4) Vide apud *Calmetum* ad finem dictionarii bibl., aut apud alios tabulam chronol. universal. historiae biblicae, ad annum mundi 5712.

(5) In prologo l. *Eccli.*

Nam *Sirachides iunior*, *Sirachidis senioris* nepos versionem *Ecclesiastici* ex hebraeo in graecum se suscepisse ait (5) tempore *Ptolemaei Evergetis*, qui *Philadelpho* fratri successit. Praeterea *Sirachides senior* seu auctor *Ecclesiastici* magnorum virorum laudes (6) recensere desinit in elogio *Simonis* pontificis, qui fuit frater *Eleazari* pontificis, signo satis manifesto, se circa illud tempus scripsisse *Ecclesiasticum*. Denique valde probabilis multorum opinio est, auctorem *Ecclesiastici* fuisse unum aliquem ex lxx interpretibus, inter quos *Aristaeas* (7) etiam quendam *Iesum* recenset.

76. QUÆRES II. *Num credibile sit, quod auctor Ecclesiastici fuerit theopneustus, seu a Deo inspiratus; cum potius videatur fuisse philosophus gentilis de secta platonica. Antequam respondeam, observo, quendam recentiorum ex doctoribus catholicis divinitatem libri Ecclesiastici ex eo maxime capite impugnasse, quod huius libri auctor videatur esse philosophus ex schola alexandrina sectae platonicae, cum dicat (8): Et effudit illam, i. e. sapientiam suam Deus) super omnia opera sua et super omnem carnem, secundum datum suum, prout scilicet eam dare et communicare voluit: atqui haec est doctrina platonica. Plato enim docuisse fertur, Deum primo produxisse per effluxum quendam ex se duo principia, unum quod esset mens, ratio et idea mundi efformandi; alterum, quod materiam animaret, et esset anima seu spiritus mundi. Ita Plato in *Philebo* seu de summo bono, et in *Timaeo* de mundi natura; prout refertur in lexico universal. lipsiensi (9).*

(6) Cap. 50, v. 1.
(7) In historia de 70 interpretibus.
(8) *Eccli.* c. 1, v. 10.
(9) T. 28 ad voc. *Platonische Philosophie*.